



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.l.], 1645

§. 1. Vbinam spes nostra potiſſimùm sit ponenda?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

§. I.

Ubinam spes nostra potissimum sit ponenda?

Defanorū hominū iudicio, Nummus est humana potentia compendium: rectius dicerent: Deus est humana potentia compendium. Siquidem omnia ex Deo; qui potens est omnia facere superabundanter, quam petimus, aut intelligimus, secundum virtutem, quæ operatur in nobis. Ille fons est omnis boni, ille Oceanus misericordiarum, ille asylum, ille scutum, ille portus, ille spes prima & vltima miserorum. Vt proinde stolidè erret, qui fonte deserto, cisternas sibi fodit, quæ continere non valent aquas; aut fluuium, immo riuulum existimat Oceano pleniorē: vel qui cum vidit, se ab omnibus deseri, etiam à Deo desertum arbitratur: quasi exhausta sit illius potentia & bonitas, aut fons misericordiæ exsiccatus. Non nouit Deum, quisquis, in rebus ambiguis, non consulit Deum. Non credit Mundi gubernatorem Mundo esse superiorem, quicumque se abstrahi finit per vllam rem Mundi. O quàm vilis spes est, quæ nititur Mundi potentia! quàm fugax Principum custodia! quàm fallax fiducia creaturæ! Fascinatio,

2. Cor. 5.

18.

Ephes. 3.

20.

Ier. 2. 13.

tio, error, cæcitas, insania est, quærere v-
bique vel solatia, vel auxilia, & ignorare,
aut obliuisci eum, in quo sunt omnia; immo
etiam à quo sunt omnia, qui & est omnia in
omnibus.

§. II.

Deus omnia est omnibus.

De Protheo, versipelle falsoque Deo,
quem alij Vertumnum appellauerunt, Pro-
pertius ita cecinit:

Propert.
lib. 4.
eleg.

Opportuna mea est cunctis natura figuris:

In quamcumq; voles, verte, decorus ero.

Hebr. 4.
18.

Multò veriùs hæc de vero Deo canas: in om-
nibus periculis, in omni necessitate, est op-
portunus. *Adeamus ergo cum fiducia ad thro-
num gratiæ: ut misericordiam consequamur, &
gratiam inueniamus in auxilio opportuno.* A-
memus v̄bique pulchrum. Pulcher est in pul-
chro Mundo, quem condidit; pulcher in po-
tentia; pulcher in misericordia; pulcher in
æquitate; pulcher in cælo; pulcher in terra;
decorus in Virginis utero; decorus in iu-
mentorum stabulo; decorus in cunis; deco-
rus in templis; decorus in spinis, decorus in
ipsa crucis deformitate: potens verbo, po-
tens facto. Pete ab eo, quidquid à Deo peti
potest, & (si quidem tibi proderit) scito, te
impe-